Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8447
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



xxxvij

porcos. Et cupiebat implere uentrem suum de siliquis quas porci manducabant. et nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit. Quanti mercenarii in domo patris mei habundant panibus. ego autem hic fame pereo. Surgam et ibo ad patrem meum. et dicam ei. pater peccaui in celum et coram te. et iam non sum dignus uocari filius tuus. fac me sicut unum de mercenariis tuis. Et surgens uenit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset uidit illum pater ipsius. et misericordia motus est. Et accurrens cecidit super collum eius et osculatus est eum. dixitq; ei filius. pater peccaui in celum et coram te. iam non sum dignus uocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos. Cito proferte stolam primam et induite illum: et date annulum in manu eius. et calciamenta in pedes eius. Et adducite uitulum saginatum et occidite et manducemus et epulemur. quia filius meus hic mortuus fuerat et reuixit. perierat et inuentus est. Et ceperunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro. Et cum ueniret et appropinquaret domui audiuit symphoniam et chorum. et uocauit unum de seruis et interrogauit quid hec essent. Ipse autem dixit illi. Frater tuus uenit. et occidit pater tuus uitulum saginatum. quia saluum illum recepit. Indignatus est autem et nolebat introire. Pater ergo illius egressus. cepit eum rogare. At ille respondens dixit patri suo. Ecce tot annis seruio tibi: et nullum mandatum tuum preterii. et unum quidem dedisti michi hedum. ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic. qui deuorauit substanciam suam cum meretricib; uenit. occidisti illi uitulum saginatum. At ipse dixit. Fili tu semper mecum es. et omnia mea tua sunt. Epulari autem et gaudere oportebat. quia frater tuus hic mortuus fuerat et reuixit. perierat et inuentus est. Offer. Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte ne quando dicat inimicus meus. Preualui aduersus eum. Secr. Hys sacrificiis domine concede placatus. ut qui propriis orationibus absolui delictis. non guemadmodum aliens. Oportet te filigande Co. p. te quia frater tuus mortuus fuerat et reuixit perierat et inuentus est. Sacramenti tui diuine Coplu. diuina libacio penetralia cordis nri confirmet. et sui principes potenter efficiat. p. Familiam tuam Sr pplm. quesumus domine continua pietate custodi. ut que in sola spe gre celestis inmittitur. celesti etiam protectione muniat. p.

49